

† Adm. R. P. Severinus Ranaldi (1879-1936)<sup>1</sup>

(*Vice-Prov. de Buenos Aires*)



Subitanea, at minime improvisa morte Rector domus Rosario fer. VI, 9 Oct. 1936, nobis ereptus est.

Natus in Italiae (Latii) loco Isola del Liri 27 Dec. 1879, a. 1892 in vicinum collegium Scifelli ingressus, Romae vota nuncupavit 29 Sept. 1899, sacerdotio autem Cortonae 4 Dec. 1904 auctus est. Exactis aliquot annis in magisterio dicti iuvenatus et in sacro ministerio Romae ad S. Ioachim, a. 1909 generose patriae valedixit, ut in longinqua republica Argentina animas vel magis derelictas, praesertim tot popularium suorum, salvaret. Eo iter faciens etiam nonnullas domus Provinciae Germaniae Inf., a qua domus Argentinae pendent, visitavit.

In nova patria se semper monstravit verum Apostolum et dignum Institutum filium animarum zelo inflammatum. Verbum Dei illa simplicitate, quam Regula praescribit, at simul eloquenter praedicans, peragravit magnam vastae reipublicae partem, praesertim provincias Santa Fe, Córdoba, Tucumán, Buenos Aires.

<sup>1</sup> Cfr. *El Perpetuo Socorro en los Paises del Plata* IV (1936), 382 sq.; *Nachrichten* 7 (1936), 111 sq.

Mense Novembri 1909, ergo statim post suum in Novum Mundum adventum, socius defleti P. Iosephi Brescia fuit in incipienda nova fundatione Rosario, et huic domui adscriptus mansit per 18 annos continuos, ultimis 8 annis qua Minister. Triennio 1927-30 collegio Bonaërensi prae-fuit Rector, quo in munere a. 1929 folia periodica *Boletín de las Victorias* evulgare coepit. Duobus trienniis insequentibus gubernavit communitatem Tucumán recentissimam ibique novam domum novamque ecclesiam a fundamentis excitavit. Ibidem artificiosissimum fabricavit Praesepe, quod uno anno 36 000 hominum visitarunt, et cum singuli denos centesimos solve-rent, inde etiam lucrum habuit honestissimum. Patrem Ranaldi in hac urbe multorum benevolentiam sibi conciliasse in eius obitu manifestabatur. Multae enim Missae in dilectae animae solacium celebratae, et una qui-dem pontificali ritu ab insigni Congregationis amico, Exmo D. Piedrabuena, assistente Episcopo dioecesos, Exmo D. Barrère.

Cum d. 13 Jul. 1936 P. Ranaldi Rosario venit, renuntiatus a P. Rectore Maiore huius communitatis Rector, nil antiquius habebat quam debita magna domum adhuc gravantia exstinguere. Hic quoque Praesepio artificio ex-STRUENDO mox manum admovit, verum opus grande perficere non potuit. Quodam sabbato mensis Septembris, hoc opere occupatus, animus eum defecit, quamquam post sanguinis missionem brevi ad sese rediit. Octavo post die eadem hora eiusdem mali impetum sensit, sed iterum post pau-cas horas lecto surrexit.

Die 5 Octobris incepit alterum quintiduum exercitiorum spiritualium, quod animo valde collecto transegit. Ut subditis levamen quoddam daret, ipse ad mensam legebat et Missam hora tardiore celebrabat. Ultimo exercitiorum (ac vitae) die h. 8 Missam de Requie cum *Libera* cantavit; h. 10.30 vero vocavit Praefectum infirmorum, dicens se male sese habere. Attamen hac hora omnes medici in nosocomiis urbis detinebantur, nec quisquam eorum arcessi poterat. Hora 11.20 fortis congestio cerebralis aegrotum invasit, quare parochus, Adm. R. P. Ioannes Arens, praesente communitate ei administravit extremam unctionem cum benedictione apostolica, intra quem ritum sacrum bonus P. Rector Ranaldi animam efflavit.

Eo ipso die iam circa 500 homines corpus examine visitarunt, inter quos etiam loci Ordinarius, Exm̄us D. Antonius Caggiano, qui postridie exse-quiarum Missam pontificalem cantavit, praesentibus multis sacerdotibus ac religiosis et magna populi multitudine; cum vero postea corpus efferebatur, amplius 30 cursus ipsum currum funebrem sequebantur, et ad tumulum apertum quidam nostrae paroeciae adolescens ex tempore in laudem amati P. Severini verva per pulchra dixit.

Sic in caemeterio Rosariensi *La Piedad* P. Ranaldi ad latus Patris Brescia resurrectionem suam gloriosam exspectat. Erat religiosus optimus, omnem fastum abhorrens, et Superior quoque malebat primus inter pares

esse. Usque ad finem strenue ministerio apostolico se dedicavit, mense enim Augusto duos exercitorum cursus in ephebeis praedicarat et tertiam ad Sorores mense Septembri. Die 12 Octobris solus missiunculam quandam incipere statuerat, cum Dominus dixit: « Sufficit, serve bone et fidelis; amodo requiesce a labore! » R. I. P.